

Danielle Jacquart « L'utilisation du *De anima* par les médecins universitaires médiévaux » : exemplier

I. Taddeo Alderotti, *In Isagogas Iohannitii*, éd. Venise, 1527.

1. « si vero accipiunt actum primum pro forma habita acquisita, sicut dicitur de homine qui est scriba bonus quod scribit actu primo, sicut accipit **Philosophus in principio secundi de anima**, tunc iterum nihil est quia vult **Philosophus secundo de anima** quod aliquis potest venire de actu primo ad secundum sine alteratione facta extrinsecus, ita quod non est ibi mutatio nisi de actu ad actum, unde dicitur quod non se habet dicere sapiens cum oporteat alterari, ergo si aer est calidus in summo actu primo, tunc poterit duci ad secundum sine motore exteriori quod est contra sensum » (fol. 344va, cf. DA II. 1, 412a 10-12 et II. 5, 417b5-8).

2. « Nam dicit Damascenus in libro de trinitate quod anima est coniuncta corpori tota toti et non pars parti, idem **Philosophus in fine primi de anima** » (foL 351vb, cf. DA I. 5. 409b 3-4 et 411B 7-8).

3. « [De virtute nutritiva] De primo sic procedo invenitur quadruplex diffinitio huius virtutis. Primo est **Aristotelis in secundo de anima** que talis est : 'virtus nutritiva est potentia salvare suscipiens ipsum secundum quod est huius'. Secunda ponitur a Galeno [...] Resumamus autem diffinitionem Philosophi primo et exponamus eam. Dicit ergo quod virtus nutritiva est potentia et ponit ibi potentia loco generis ut separetur nutritiva virtus ab aliis rebus naturalibus que non sunt virtutes. Item dicit possibilis salvare suscipiens ipsum id est potentia que salvat et conservat substantiam illius corporis in quo est et per hoc separatur virtus augmentativa, nam augmentativa operatur circa quantum subiecti sui et non circa substantiam, sicut dicit **Aristoteles ibidem**, per hoc vero quod dicit 'secundum quod est huius' excludit generativam, nam generativa non salvat subiectum in quo est, sed salvat sibi simile secundum speciem, aut salvat subiectum 'secundum quod huius est', id est in esse suo singulari. Diffinitio autem Avicenne explanatur amplius ... » (fol. 355va, cf. DA II. 4, 416b 17-19 et 416b 12-13).

4. « Dicit **Aristoteles in primo de anima** quod si amputentur animalia anulosa, tunc remanet anima in qualibet parte, ita quod si nutrimentum posset suscipere per organa actu viverent, ergo tota anima est in qualibet » (fol. 356ra, cf. DA I. 5, 411b 20).

5. « Et dicit **Aristoteles in secundo de anima**, nam dicit quod nutritur animal a simili et a contrario secundum diversos modos » (foL 356rb, cf. DA II. 4, 416b 6-7).

6. « Secundo modo dicitur phantasia motus qui fit de phantasmate et ad virtutem phantasticam et hoc modo accipit **Aristoteles in 3^o de anima cap. 3^m** quando dicit quod 'phantasia est motus factus a sensu secundum actum', sed de virtute potest iterum dici tripliciter, nam uno modo dicitur phantasia de omni virtute que est a sensu particulari usque ad intellectum et hoc modo loquitur de phantasia **Aristoteles in principio tertii de anima**, nam comprehendit sub se et sensum communem et virtutem imaginativam et extimativam, quod patet quia Aristoteles non loquitur nisi de phantasia sive imaginatione, que apud eum idem est, et de intellectu et memoria, unde secundum hoc oportet quod apud Aristotelem accipiatur phantasia pro omni virtute interiori usque ad intellectum » (fol. 359vb, cf. DA III. 3, 429a 1).

7. « Videtur quod omne animal habet phantasiam, nam dicit **Aristoteles in secundo de anima** quod omne quod habet sensum habet phantasiam [...] Ad contrarium dicit **Aristoteles** quod formica et vermis et apis non habent phantasticam » (foL 359vb-360ra, cf. DA II. 2, 413b 22-23 et III. 3, 428a, 10).

8. « Ad istam questionem non est congruum respondere, quia ecclesia cum philosophis posterioribus discordat secundum quod patet per tertium libri de anima in commento et ideo tenendum est simpliciter quod anima est diversa in numero in quolibet homine secundum quod obiectum est neque curo ut ad argumenta respondeam, sed sufficit sola disputatio nec propter hoc ad ignorantiam quis putet hoc esse, sed potius ad quamdam timiditatem cum dissentia philosophi et ecclesie sicut dictum est » (fol. 361rb)

9. « videtur quod homo post mortem recordetur [...] Ad contra testus est **Aristoteles in primo de anima** quia dicit post mortem non recordari, in tertio de anima dicit hec idem [...] non possibile per viam nature [...] sed per viam gratie est possibile » (fol. 361va, cf. *DA*, I. 4, 408b, 27-28)

10. « De primo sic procedo, videtur quod putredo non possit fieri in corpore vivo, nam dicit **Aristoteles in primo de anima** quod anima defendit corpus ne putrescat, quare cum in omni corpore vivo sit anima, nullum tale poterit putrescere [...] Ad contrarium est plana ratio, nam multa videmus fieri febres ex putredine in humoribus [...] dico quod dupliciter est putredo, una universalis qualis est in cadaveribus et talis putredo non potest fieri in corpore humano dum vivit et est alia putredo particularis quando aliquis vel aliqui humores putrescunt et de tali putredine non loquitur Aristoteles » (fol. 385vb, cf. *DA* I. 5, 411b 9).

II. Jacques Despars, commentaire au *Canon* d'Avicenne, éd. Lyon, 1498 (Livre I, fen 1, doctrine 6, *De virtutibus*).

1. « Attende septimo quod virtus proprie dicitur de potentia anime [...] Attende octavo quod de virtute anime quid sit varii varie sentiunt sicut et de anima que est principium virtutum. Galenus enim archiater noster sensisse videtur quod sit complexio. Dicit namque primo de iuvamentis membrorum capitulo secundo : 'Complexio ergo est substantia corporis et natura eius'. Et Haly secundo Tegni commento illius canonis 'Signa igitur egri corporis' ait : 'Virtus est quedam causa que dicit efficiens et in omni membro est virtus infixata in eo qua facit suam operationem propriam. Et substantia huius virtutis secundum suam' scilicet Galeni 'sententiam est complexio ei propria'. Eiusdem opinionis fuit Alexander grecus post tempora Aristotelis magne reputationis et fame habitus in philosophia et medicina. Altera opinio est dicentium virtutem esse quamdam naturalem potentiam de secunda specie qualitatis qua corpus vel membrum redditur aptum ad suas operationes exercendas. Tertia est verisimilior et doctrine Aristotelis consonantior quod virtus est ipsamet substantia anime diversificata secundum relationes ad diversas operationes et obiecta et complexiones et compositiones quibus ipsa utitur ut instrumentis quoad potentias anime affixas organo corporeo » (c. 1).

2. « Sed instabit aliquis quod non sunt tantum tria genera virtutum. Primo auctoritate **Aristotelis secundo de anima** dicentis 'Potentias autem dicimus vegetativum, sensitivum, appetitivum, motivum secundum locum, intellectivum' [...] Attende primo quod pro solutione istarum obiectionum quod Aristoteles philosophorum princeps theorice inquirens numerum virtutum anime quinque eas posuit secundum genus : primo vegetativam, secundo sensitivam, tertio appetitivam, quarto motivam secundum locum, quinto intellectivam. Sed Galenus medicorum princeps et artificialis opifex de virtutibus anime considerans secundum relationem ad opus conservationis sanitatis et curationis egritudinum non distinxit inter virtutes sensitivas interiores et intellectuales, quia virtutes intellectuales non sunt organis infixate nec leduntur neque egrotant nisi lesis sensitivis in suis organis [...] Item reposuit appetitivam cum cognitione previa et motivam voluntarie sub eodem genere, quia communicat in sua prima origine ita quod idem organum est radix utriusque, sensitiva igitur et appetitiva et motiva secundum locum et intellectiva cadunt sub genere virtutis animalis secundum Galenum et suos sequaces. Vegetativa vero virtus que est ordinis inferioris ad has omnes virtutes, quia agit sine cognitione que est quedam participatio divinitatis, dividitur a Galeno in duo genere scilicet vitale genus et naturale, quia custodia sanitatis harum virtutum et curatio egritudinum in suis primis organis sunt multipliciter diverse [...] Ex istis apparet quod neque Aristoteles defecit dividens virtutes in quinque genera neque Galenus dividens in tria. Et sic soluta est prima obiectio » (c. 1, cf. *DA*, II. 2, 414a 31-33)

3. Queritur utrum inter virtutes anime sit ponenda virtus vitalis ab aliis specie distincta. Videtur quod non quia maximus philosophorum Aristoteles qui diligentissime inquisivit de virtutibus anime nusquam enumerat eam **in toto libro de anima**. Et licet locus ab auctoritate non teneat

negative, non est presumendum quod tantus vir si qua esset reliquisset eam. Item anima secundum seipsam sine medio cuiuscumque potentie vel virtutis dat vitam viventi, quia anima est forma substantialis viventis, ergo dat esse viventi. Forma etenim est que dat esse rei, sed vivere viventibus est esse. Iuxta illud **Aristoteles secundo de anima**. 'Vivere autem viventibus est esse. Causa autem et principium horum anima est'. Item 'animatum differt ab inanimato in vivendo', iuxta illud **Aristoteles dicto libro**. Dicamus igitur principium accipientes intentionis determinare animatum ab inanimato in vivendo, sed differentia essentialis qualis est inter animatum et inanimatum sumitur a forma rei. Item seclusis omnibus aliis ab anima et corpore quamprimum et quamdiu anima adheret corpori corpus vivit, quia mors non est nisi separatio anime a corpore, ergo vita est coniunctio anime cum corpore. Item si virtus vitalis ponatur aliqua specialis virtus anime, ipsa erit naturalis seu vegetativa. Iuxta illud Aristoteles libro de morte et vita : 'Generatio quidem igitur animati scilicet prima est participatio in calido nutritive anime vita aut mansio huius'. Item **secundo de anima** : 'Vivere quidem igitur propter hoc principium scilicet vegetativum est viventibus, animal autem propter sensum primum'. Et Averroys in commento verbi illius ait : 'Igitur aliquid vivere non dicitur in littera greca nisi de omni quod vivit per hoc principium quod est augmentativum et nutritivum non per aliud' (cf. *DA*, II.4, 415b 13-14, II.2 413a 21-22, III. 11-12 ?).

Oppositum determinat Galienus in pluribus locis et princeps hic et primo cantice et fere tota medicorum schola.

Pro latiori dilucidatione huius dubii primo tangetur opinio Aristotelis et sequacium eius. Pro qua explananda attende primo quod secundum Aristotelem 4 sunt virtutes anime quibus ipsa tota determinata est et divisa scilicet vegetativa, sensitiva, motiva secundum locum et intellectiva. Iuxta illud **Aristoteles secundo de anima** : 'Nunc autem interim dictum est quod anima est horum que dicta sunt principium et his determinata vegetativo, sensitivo, intellectivo, motivo'. Et si instet aliquis quod est adhuc una scilicet appetitiva. Dic quod verum est, sed hec non est principalis secundum quam determinetur propria species animati sicut alie, immo semper est coniuncta sensitive. Est autem animatum quod est vegetativum solum ut arbores et herbe. Aliud est vegetativum et sensitivum solum ut animalia terre vel petris affixa. Aliud est vegetativum, sensitivum motivum secundum locum tantum, ut animalia gressibilia volatilia natilia et reptilia. Aliud est vegetativum sensitivum motivum secundum locum et intellectivum ut homines. Attende secundo quod **vita mortalium secundum Aristotelem et suos sequaces est actus essentialis anime secundum quod est forma corporis organici phisici potentia vitam habentis**. Sicut enim actus essentialis forme non animatorum est esse quod prebet non animatis, quia forma est que dat esse rei, ita actus essentialis anime est vivere seu vita. Nam 'vivere viventibus est esse', ut ait **Aristoteles secundo de anima**. Et Albertus Magnus interpret ipsius suo 2° de anima ait : 'Est autem sciendum quod vivere est essentialis actus anime qui supponitur ut fundamentum in omni tempore vel opere suo. Et hoc patet quia omnis anima actum hunc influit in corpus quod est animatum et a primo membro corporis, hoc est a corde vel ab eo quod est loco cordis, influit ipsum et ideo vivere viventibus est esse'. Attende tertio quod tot sunt species vel modi vite quot sunt species anime quibus determinatur ipsa ad diversas species animatorum, quia quelibet species dat esse proprium quod est vita ei cuius est forma, ut anima vegetativa dat esse vegetativum, anima sensitiva esse animali, anima motiva esse animal motivum, anima rationalis esse hominem. Si igitur aliquod horum esse insit alicui hoc vivere dicitur. Iuxta illud **Aristoteles secundo de anima** : 'Multipliciter autem ipso vivere dicto et si unum aliquod horum insit solum vivere, dicemus ipsum ut intellectus et sensus et motus secundum locum. Adhuc autem motus secundum alimentum et decrementum et augmentum'. Attende quarto quod duplex est vita. Quedam prima sensum latens et hec dicitur mansio anime in calido et humido, id est actus immanens videlicet primus actus essentialis anime. Alia secunda patens scilicet operatio propria cuique anime ut vita vegetabilis. Prima est esse vegetativum. Secunda est nutrire. Et vita animalis prima est esse animal et secunda sentire sensu

tactus, hoc est enim proprium omni animali. Et vita animalis motivi secundum locum prima est esse animal localiter motivum. Et secunda est localiter voluntarie movere. Et vita hominis prima est esse hominem et secunda est intelligere. Et hec vita iterum est duplex. Una est activa que consistit in operibus prudentie. Alia contemplativa que consistit in operibus sapientie. Sed queret aliquis utrum in anima rationali separata a corpore ipsa enim est perpetua et separabilis ut fatetur Aristotelis et in intelligentiis sit vita [...] Attende quinto quod licet vegetativa vita sit imperfectior vitarum, ipsi tamen famosius attribuit nomen vite. Primo quia via generationis est prior in mortalibus, embriones enim primo vivunt vita plante. Secundo quia est universalior. Ipsa enim est communis omnibus vegetabilibus, animalibus et hominibus. Tertio quia vita vegetativa secunda quod est nutritio est operatio non intercepta, sed coequeva vegetative potentie quia quamdiu vivimus tamdiu nutrimur. Non sic autem de sentire, movere et intelligere est. Ista enim somno intercipiuntur. Propter istas causas Aristoteles videtur in pluribus passibus attribuere vitam vegetative virtuti. Ait enim **secundo de anima ca. primo** : ‘Vitam autem dicimus per seipsum alimentum et augmentum et decrementum’. Et in littera arabica scribitur : ‘Et dicere est vitam nutriri augeri et diminui’. Et in commento illius canonis scribit Averroys : ‘Intelligo per vitam principium commune omni animato scilicet nutriri, augeri, diminui essentialiter’ [...] (cf. *DA* II. 1, 412a 14-15).

His premissis dicitur primo secundum Aristotelem quod inter virtutes anime non sunt ponenda virtus vitalis ab aliis specie distincta [...] Tertio dicitur secundum Aristotelem quod virtus vitalis non est propria animalibus, ut aiunt medici, sed communis animalibus et plantis,

Sed pro declaratione mentis Galieni super hac materia supponitur primo quod in animalibus perfectis sanguinem habentibus necessario est calor naturalis cuius cor est fons et principium [...] Quinto supponitur quod virtutes anime abinvicem proprie distinguuntur per actus et obiecta ut ait **Aristoteles secundo de anima**. Ad hos enim relative dicuntur et etiam per propria subiecta vel fundamenta. Nam secundum diversitates armoniarum complexionalium et organisationum organorum diversificantur anime virtutes in membris organicis [...] (cf. *DA*, II. 4, 415a 14-23)

His premissis dic quod inter virtutes anime ponenda est virtus vitalis ab aliis specie distincta. Primo quidem per obiectum est ab aliis distincta, quia obiectum virtutis vitalis est calor vivificus cor inhabitans. Circa cuius salvationem et distributionem convenientem tota hec virtus occupatur, sicut naturalis virtus circa alimentum, et animalis circa sensibile intrinsecum vel extrinsecum. Secundo distinguitur ab aliis per actus. Quorum unus est generatio continua spirituum vitalium ad totum corpus vivificandus. Secundus est distributionis vitalis caloris ad omnia membra. Primo quidem irradiatione qualitativa. Secundo transmissione spirituum. Tertio transmissione sanguinis arterialis. Tertius est motus cordis et arteriarum secundum dyastolem et systolem. Quartus est moderari et regulare motus sanguinis et spirituum in passionibus animi ut in ira, furore, terrore et similibus [...] sic predicti quatuor actus sunt operationes virtutis vitalis. Tertio distinguitur ab aliis per proprium subiectum seu fundamentum. Ipsa enim est fundamentaliter in corde, participative in membris aliis [...]

Ad probationes dic quod aliquis vivendi modus singulis animatis ab anima vegetativa inest, sed non vita proprie dicta que consistit in predictis actibus.

4. « Et licet minus attineat medico de virtutibus rationalis anime tractare quam de estimativa propterea quod separate sunt a corporeo organo, estimativa vero non, contineri nequeo tamen quin de ipsis aliquid dicam amore philosophie et federe eius cum medicina » (c. 5)

Publications citées dans l'exposé (ce n'est bien sûr pas une bibliographie sur le sujet !)

- A. Birkenmajer, « Le rôle joué par les médecins et les naturalistes dans la réception d'Aristote au XII^e et XIII^e siècle » [1930], reprod. dans Id., *Études d'histoire des*

sciences et de la philosophie du Moyen Âge, (Wroclaw-Varsovie-Cracovie, 1970) [Studia Copernicana I], p. 73-87.

- D. Jacquart, « Aristotelian thought in Salerno », dans P. Dronke (éd.), *A History of Twelfth-Century Philosophy*, Cambridge, 1988, p. 407-28.
- F. Wallis, « 12th century commentaries on the *Tegni* : Bartholomaeus of Salerno and others », dans N. Palmieri (éd.), *L'Ars medica (Tegni) de Galien : lectures antiques et médiévales*, Saint-Etienne, 2008, p. 127-68.
- N. G. Siraisi, *Taddeo Alderotti and his pupils : two generations of Italian medical learning*, Princeton, 1981.
- B. Nardi, « L'Averroismo bolognese nel secolo XIII e Taddeo Alderotto », *Rivista di storia di filosofia*, 4(1949), p. 11-22.
- D. Jacquart, « Le mouvement volontaire selon Jacques Despars (m. 1458) », dans *Ead.*, *Recherches médiévales sur la nature humaine, Essais sur la réflexion médicale (XII^e-XV^e s.)*, Florence, 2014 (*Micrologus' Library*, 63), p. 417-56.
- D. Jacquart, « La complexion selon Pietro d'Abano », *ibid.*, p. 373-416.